

Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.

Léctio Epístolæ primæ beāti Pauli apóstoli
ad Corínthios

1, 10-13. 17

- ¹⁰ **O**bsecro vos, fratres,
per nomen Dómini nostri Iesu Christi,
ut idípsum dicátis omnes,
et non sint in vobis schísmata,
sitis autem perfécti
in eódem sensu et in eádem senténtia.
- ¹¹ Significátum est enim mihi de vobis, fratres mei,
ab his, qui sunt Chloes,
quia contentiónes inter vos sunt.
- ¹² Hoc autem dico, quod unusquísque vestrum dicit:
«Ego quidem sum Pauli», «Ego autem Apóllo»,
«Ego vero Cephæ», «Ego autem Christi».
- ¹³ Divísus est Christus?
Numquid Paulus crucifíxus est pro vobis,
aut in nómine Pauli baptizáti estis?

[14-16]

- ¹⁷ Non enim misit me Christus baptizáre,
sed evangelizáre;
non in sapiéntia verbi,
ut non evacuétur crux Christi.

Verbum Dómini.